

55. An autem habitus hic theologiæ (qui, quia doceri & disci potest, doctrina etiam & disciplina vocari potest) referri debeat ad aliquem illorum habitum, sive moralium sive intellectualium, quos à philosopho novimus in Ethicis enumeratos, meritò quæritur. Nam illo recte cognito, quo ordine præceptorum debeat discipulis proponi, facile patebit.

56. Habitus sane moralis & virtus τῷ ἔθει non est, qualis est Iustitia, Fortitudo & Temperantia: quæ consuetudine & assuefactione, crebrisq; actionibus moralibus secundum rectam rationem gignuntur, & à voluntatis libertate & proæresi, seu certo animi proposito pendent, & in mediocritate inter excessum & defectum consistunt. Hæ enim virtutes morales, ut habitus proæretici, occupantur circa τὴν ὀρεξίν τῷ θυμικῷ καὶ ἐπιθυμικῷ rectæ rationi subjiciendam: & ob id juxta Platonem, licet in præceptis scientiæ morales definiantur, & crebris monitis commendentur, atq; scientia ethica de illis in animo gignatur, doceri tamen non possunt, sed liberæ electionis sunt: quia alioquin à parente bono semper relinqueretur filius bonus. Theologia autem est διδακτὴ & doceri potest, & informat τὴν διάνοισιν & partem animæ λογικὴν. Habitus ergo est dianoeticus seu intellectualis.

57. Quia autem quinque habitus intellectuales numerat Aristoteles, νόον, ἐπισήμην, σοφίαν, φρόνησιν, τέχνην, qui tamen omnes Stoicis & Platoni uno nomine prudentiæ veniunt, quemadmodum sapenumero etiam scientiæ vocantur: quærendum jam est, an & in quem horum habituum intellectus censum referenda sit theologia.

58. Scientiam vocant plerique Scholasticorum, Thomæ Aquinatis auctoritatem secuti. Addunt rationem, quia theologus cognitionem evidentem habeat assertionum fidei. Sed quum scientiæ tanquam ἐξ αὐτῶν ἀποδεικτικῶν pendeant ab internis principiis, necessarium subjectum constituentibus, ipsumq; earum subjectum ex illis principiis & causis præcognitis per modum demonstrationis scientificæ evidenter cognoscatur, idq; beneficio intellectus, qui ex principiorum intuitu ad scientiam eorum, quæ inde concluduntur, progreditur; theologia econtra sit doctrina fidei, quæ non docet per causam veritates theologicas evidenter nosse, & quasi coràm intueri ratione, sed propter
autori-